



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Quoad Religiosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Metaphysicè loquor) non est bene. Nam etiam Metaphysicè, loquendo, anima, nec est, nec dici potest complete, & absolute persona (quamvis sua partiali subsistentia non careat) sed incompletè solum.

14. Dubitari Quintò potest de pauperibus. Respond. De his dixi satis supra c. 3. §. 7. n. 12.

15. Dubitari Sextò potest de privilegiis quibusdam introductis ex legitima consuetudine, an scilicet illa per Bullam suspendantur.

Respondeo. Si sunt contraria Bullæ, (de quibus hic sermo esse debet) ita ut ejus expeditionem impediunt, suspenduntur ex Bardi part. 3. tract. 1. cap. 2. sect. 1. qui in secunda editione mihi videtur aliquantulum obscure loqui; Andreas autem Mendo *ibid.* in *vendicatione*, n. 17. ab eodem Bardi citatus absolute docet, non suspendi. Idemque tenet Gallegus, *claus. dub.* 175. Ratio hujus sententia esse potest, quia introducta per consuetudinem non sunt immediate concessa à Papa, Bulla autem videtur solum suspendere, quæ immediate à Papa conceduntur.

§. II. *Quenam privilegia suspendantur, vel non suspendantur per bullam, quoad religiosos.*

1. IN prædicta clausula duodecim in fine, sic à prædicta suspensione excipiuntur Facultates Religiosorum Mendicantium, & consequenter religiosorum, etiam non Mendicantium, qui cum illis communicant in privilegiis, sic inquam, excipiuntur, *exceptis tamen concessis Ordinibus Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres.*

2. Nomine *Mendicantium* hic intellige primo quatuor Ordines, puta Carmelitarum, S. Augustini, S. Dominici seu Prædicatorum, S. Francisci, seu Minorum, qui Mendicantes dicuntur *cap. unic. de Relig. Domib.* in 6. Intellige Secundo alios, qui à Summis Pontificibus Mendicantes dicti sunt in particularibus bullis, inter quos sunt Minimi, seu Fratres Sancti Francisci de Paula ex declaratione Pii V. & ex eodem est nostra Societas. Intellige Tertio illos omnes Religiosos, qui communicant in privilegiis Mendicantium, hæc enim exceptio, de qua loquimur, privilegium sine dubio est.

3. Nomine *Fratrum* intellige omnes personas religiosas, sive constitutas in sacris, sive non, sive clericos, sive conversos, seu Laicos, seu Moniales, sive novitios, novitiasque: ratio est, quia favor hic ex contextu Bullæ conceditur religiosis, at hi omnes veniunt nomine religiosorum, & sic, utpote in re favorabili, etiam novitii. Non intelligo autem Tertiarios, & Tertiarias, qui non sunt Religiosi, Religiosam professionem emittentes. Ita Lud. à Cruce, *de Bulla d. 2. c. 6. dub. 4. V. lla. l. 17. claus. 12. n. 12. & 13. & alii.*

4. Nomine *facultatum*, quæ excipiuntur à prædicta suspensione veniunt, non solum quæcumque alia privilegia, verum etiam indulgentiæ quæ dictis religiosis quatenus religiosi talium Ordinum sunt concessæ, hæc enim certè facultates, & gratiæ sunt. Ita Lud. à Cruce *l. c. dub. 1. n. 6. Trull. lib. 1. §. 9. dub. 3. n. 1. cum aliis* Adde, excipi omnia quæ suspendi à commissario possunt, at possunt etiam indulgentiæ prædictæ.

5. Dices verba Bullæ excipientia religiosos diriguntur ad Superiores Ordinum Mendicantium, ergo dicendum est, illas solas facultates, & indulgentias excipi, quæ conceduntur Superioribus, licet pro subditis, non vero quæ ipsi subditis immediate conceduntur.

Respondeo. Ex intentione Pontificis volentis, esse religiones exceptas ab hac suspensione, manifestè apparet, excipi etiam, quæ immediate conceduntur religiosis, ratione tamen ipsius religionis, non vero quæ ratione ipsius personæ particularis. Ita Quintanadueñas in *ap. pend. ad Lubil. & indulg. regularibus concessa*, alios citans. Addit idem auctor, id declarasse, & concessisse Leonem

X. Minoribus, atque adeo omnibus communicantibus cum ipsis.

6. Ex his ergo collige. An secularis bulla carens possit absolvi ab illis religiosis, qui habent per sua privilegia facultatem absolvendi, &c. Nihil hic dicimus, an secularis possit acquirere indulgentias concessas Ecclesiis, seu Monasteriis, ea v. g. tali die visitando, &c. nam de his jam §. præc. n. 3. vidimus, illas acquirere sine bulla, seculares nequaquam posse loquimur ergo hic solum de prædicta facultate absolvendi.

Respond. Negant non pauci, ut Trull. *l. c. d. 1. n. 3. Rodr. in expl. bull. §. 12. n. 4. Gal. claus. 12. d. 174.* non pauci autem concedunt ut Henr. *l. 6. c. 16. n. 4. & l. 7. c. 8. n. 7.* plurimè citans, Lud. à Cruce *l. c. dub. 2. n. 6. Sanch. in sum. l. 6. c. 54. n. 62.* Ego, licet negantes probabiliter loqui fatear, quia Pontifex excipit solum facultates, quoad Fratres: tamen concedentes loqui item probabiliter puto, quare sine bulla posse, circa seculares, à religiosis exerceri sua prædicta privilegia, tutum erit, id quod mutans sententiam alibi etiam docuit Rodriguez modo citatus in *addit. ad bull. ibid.*

7. Prædictorum doctorum suas quisque pro se rationes affert, illa mihi sufficiens videtur, quia Pontifex, ut supra vidimus, eas facultates à commissario suspendi concedit quæ sunt concessæ Ecclesiis, Monasteriis, Locis Piiis, Universitatibus, particularibus personis. At hæc facultates religiosorum sunt concessæ toti Ordini religioso. Nemo autem Ordinem v. g. S. Francisci, nominavit Ecclesiam, vel Monasterium, vel locum pium, vel Universitatem, vel singularem personam, sed Religionem, sed Ordinem, sed familiam religiosam, &c. Adde praxim timoratorum Religiosorum, qui suis prædictis privilegiis utuntur sine serupulo, etiam in Ordine ad seculares non habentes Bullam. Quæ continuata praxis potuit certè legitimam consuetudinem introducere.

8. Postè tempore interdicti sine bulla Regulares suis quibusdam privilegiis uti, quæ pro illo tempore habent, qualis est v. g. Passatio Campanarum in aliquibus festivitatibus tempore interdicti occurrentibus, sequitur ex dictis, & confirmat sanè probabiliter Mendo, licet neget Bardi, id quod quia est raræ praxis, satis sit, hos Auctores indicasse.

CLAUSULA XIV.

Item mandatur à Summo Pontifice, ut Summarium Bullæ (sanè in vulgari sermone impressum, & sigillo Commissarii, vel ejus Delegati munitum) per omnes Christi Fideles ad prædictum bellum contribuentes; qui hujusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiantur, & retineantur.

CAPVT XV.

De Receptione, & Retentione Bullæ.

§. I. *Bulla, quæ recipienda, debet esse scripta, impressa, &c.*

1. Quamvis, ut privilegium habeat vim, non sit semper necessaria scriptura, nisi forte in foro externo. Ita Sanch. *l. 8. matr. disp. 29. n. 20.* ut appareat, qualenam illud sit; tamen in hisce nostris bullæ privilegiis necessaria est receptio Bullæ scriptæ, & impressæ, ac sigillo, nominèque Commissarii, vel ejus delegati firmata. Ratio est manifesta, quia sic expressè vult Pontifex, & clarè enuntiat commissarius Cruciatæ, dum in Summario vulgari, quod Fidelibus in Sicilia distribuitur, sic habet.

Dichiaro, che quelli, che la pigliaranno, habbino da ricevere, e conservarsi questo Summario e Bulla, ch'è stampata.